[P] 47941/P

SHAFTON 1752

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30357317

[P]

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE LOCHIORUM SUPPRESSIONE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum viri

GULIELMI WISHART, S.T.D.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BENJAMINUS SHAFTON, HIBERNUS.

Ad diem 6 Julii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL;
M,DCC,LII.

316700

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

D. JOHANNI RUTHERFOORD,

MEDICINAE THEORETICAE ET PRACTICAE

IN ALMA ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI CELEBERRIMO;

INGENIO, DOCTRINA, ET IN ARTE MEDICA PERITIA,

NOMEN VERE MAGNUM MERITO

ADEPTO,

EGREGIIS ANIMI DOTIBUS

ORNATISSIMO,

PATRONO SUO OPTIMO, MAXIMEQUE COLENDO;

HANC DISSERTATIONEM,

PRIMOS SUOS IN ARTE MEDICA CONATUS,

GRATO ANIMO

OFFERT

BENJAMINUS SHAFTON.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

LOCHIORUM SUPPRESSIONE.

QUONIAM legibus hujus Academiae inclytae ſapienter ſancitum eſt, ut candidati, antequam titulo Medici decorentur, poſt alia tentamina, ſpecimen quoddam diligentiae, et peritiae in arte Medica, publici juris faciant; lubenter ergo bonae legi obtemperans, pauca de Lochiorum ſuppreſſione ſcribere in animum duxi:

MORBUS qui ſane inter puerperas diram adeo ſtragem edit, ut * praeclarus Sydenhamus merito obſervaverit: " Quod ex iis quae moriuntur puerperis, vix decima pars vel ex " eo periunt, quod vires partui neceſſariae

* *Sydenham.* pag. 422.

" eas defecerint, vel ex doloribus partum la-
" borioſiorem comitantibus, at eo maxime
" nomine, quod debito citius a lecto exſur-
" gunt, unde frigore ſuſcepto ſiſtuntur Lo-
" chia; quorum ſuppreſſionem praematu-
" ram longa ſymptomatum ſeries excipit,
" quae, niſi permagna tam diligentia, quam
" in medendo peritia intercedat, aegras brevi
" perimunt."

Ante vero quam ulterius procedam, non abs re erit pauca dicere de fluxu et qualitate hujus humoris, ut melius intelligantur quaedam infra in noſtro argumento poſita.

* Post expulſionem infantis, et ſecundinorum ſequitur fluxus ſanguinis rubri e ſinubus et vaſis majoribus uteri, qui impedit inflammationem âlias ſecuturam; ſi iſta non deplerentur, dum uterus ſe magna vi contrahit, et priuſquam uterus in ſtatum priſtinum redeat, neceſſe eſt quo humor in vaſis etiam minoribus

* Smell. Midwif. p. 408.

minoribus contentus, (via in venam cavam difficiliore facta) in cavum uteri lento et tardo motu diſtillet.

Vasis majoribus immediate poſt partum depletis, fluxus frequenter per aliquot horas ſiſtitur, donec liquores ex vaſis minoribus in majora propellantur, et tum iterum tranſudare incipit, coloris tamen magis pallidi.

Color Lochiorum ruber fere manet in diem quintum, ſed ſemper a principio paulatim in pallorem vertitur; et, circiter diem quintum, manat pellucidi, vel aliquando (quamvis raro) coloris viridis; oſcula enim vaſorum ſenſim anguſtiora facta a contractione uteri, poſtremo ſolummodo partem ſeroſam admittunt; ſed viridis color cenſetur oriri a ſanguine in ſinuum aut uteri cava ſtagnante, ac ſenſim diſſoluto et in corruptionem tendente.

* AUCTORES nonnulli opinari videntur hunc fluxum eundem, aut ſimilem eſſe ei qui ex vulnere fit, dum primo haemorrhagiae, deinde ſuppurationis vices ſubit: ſed magis veritati conſonum videtur, † quod mutatio coloris et diminutio quantitatis a lenta vaſorum contractione proveniat; quoniam, antequam pus fieret, opus eſſet laceratione et ulcere; ſed, in foeminis ſubito poſt partum mortuis, nullum vulnus nec ulcus apparuere in ſuperficie interna uteri, quae aliquando reperta eſt plana et alias inaequalis in iſta parte cui adhaeſit placenta, quae, a diametro ſex pollicum ante partum, cito poſt partum contrahitur in unam tertiam vel quartam partem iſtius dimenſionis.

QUAMVIS Lochia manant in decimum octavum vel vigeſimum diem, tamen quotidie quantitate minuuntur, et citius ſiſtuntur in foeminis ſuos infantes lactantibus, vel inter partum

* Mauriceau, p. 412. Harvei, p. 274.
† Smell. Midwif. p. 410.

partum fluxum immodicum paſſis. Sed color, quantitas, et duratio alia in aliis foeminis ſunt: in nonnullis enim color ruber primo vel ſecundo die evaneſcit; in aliis (quamvis rariſſime) plus vel minus in finem menſis manat. Evacuatio in nonnullis admodum parva eſt, in aliis immodica; in una cito fluere deſinit, in altera per totum menſem manat: tamen hae omnes optime convaleſcunt.

Sic, non reſpiciendum eſt ad tempus, quantitatem vel colorem Lochiorum, ſed potius ad ſymptomata ab illorum praematura ſuppreſſione producta; quae, dum fluxus vel multum imminuitur, vel omnino ſiſtitur, imprimis haec ſunt; ſcilicet, abdominis tumor, dolor gravativus imum ventrem et inguina occupans, cum pulſatione quandoque, et ardoris ſenſu; nauſea, vomitus, ventriculi et inteſtinorum tormina; ructus, flatus, borborygmi; febris acuta, cum pulſu ſemper frequenti, et plerumque pleno vel duro; ce-

phalalgia,

phalalgia, faciei rubor, reſpiratio citata et difficilis, inquietudo perpetua, pervigilium aut ſomnus brevis turbulentus; mentis perturbatio, delirium, phrenitis ſubſultus tendinum, ſpaſmi, denique mors: tertio vel quarto ab inchoato malo die, aut ſi mortem eluſerit aegra, haud raro inſana manet, aut abſceſſu vel cancro uteri afficitur.

Causa proxima diri hujus morbi eſt obſtructio, nata in ultimis arteriarum uteri finibus, et obſtaculum ibi ſanguini natum.

Causae vero remotae multiplices eſſe poſſunt; memoratu autem digniores ſunt quae ſequuntur, ſcilicet, magna quaelibet animi perturbatio, terror, ira, triſtitia, gaudium, quae paſſiones, vel ſanguinis motum excitant, vel hunc ab exterioribus in partes corporis interiores repellunt; adeoque inter alias in uterum, qui tunc aucto humorum rivo obruitur: deinde aër frigidus, qui quacunque ratione

tione admiſſus, non modo uteri vaſa conſtringit, ſed et ſanguinem ibi coagulat. Tum porro potus frigidus et medicamenta adſtringentia, incaute adhibita, ſimilem edunt effectum. Denique febris quocunque modo excitata, ſive partu laborioſo, ſive alimentis acribus aut difficulter digerendis, ſive potu ſpirituoſo, ſive frigore ſuſcepto: febris enim acuta vim vaſorum contractilem auget; ſanguini lentorem inducit, hujus motum per majores canales intendit, minores comprimit, adeoque puerperae ſuperveniens Lochiorum fluxum, ſemper vel multum minuit, vel omnino ſiſtit.

Symptomata omnia praedicta, quae ſingulatim denuo recenſere non opus eſt, oriri videntur, vel ab uteri inflammatione, acuta febre, ſicuti fieri ſolet conjuncta; vel a mutata ſanguinis proportione, qui in viſcera vicina pellitur, et, ab obſtructo utero repreſſus, in arterias caeliacas aut meſeraicas determinatur;

vel

vel denique a nervorum nexu et ſympathia, quam uterini cum reliquis omnibus nervis habent, viſceribus abdominalibus impenſis; hinc enim dolor per conſenſum ex alia in aliam partem propagatur; hinc etiam ab irritatione ſpaſmi et convulſiones ventriculi et inteſtinorum fibris, atque diaphragmati et muſculis abdominalibus inductae.

Prognosis, fauſta vel infauſta, hiſce fere ſignis abſolvitur; quo Lochiorum ſuppreſſio recentior, quo febris mitior, quo reſpiratio facilior, quo ſymptomata omnia leviora, quo ſudor levans citius, liberanſque prorumpit; quo aegrae temperies quoad caetera ſanior, eo felicior expectandus eſt eventus. Ex adverſo vero, ſi Lochiorum ſuppreſſio jam ultra biduum duraverit, ſi febris valida et acuta adſit cum calore ingente, et ſudore viſcido non levante; ſi turbentur multum cerebri functiones, et accedat delirium, phrenitis, ſpaſmus, vel convulſio; ſi reſpiratio laeſa ſit cum anxietate

etate et inquietudine; ſi adſint ſigna inflammationis topicae; ſi denique morboſa fuerit aegrae temperies, aut ſi jam in ſenectutem vergat, facile pronunciari poteſt puerperam in ſummo periculo verſari.

INDICATIONES curativae, quae ſponte naſcuntur, hae ſunt.

I. Lochiorum fluxum liberum reſtituere.

II. Febrem minuere.

III. Symptomata lenire, ſopire.

UT reſtituatur Lochiorum fluor, auctores fere omnes praeſcribere non dubitârunt, emmenagoga, ariſtolochia, et uterina dicta remedia, quae omnia, cum aromatica, foetida, acria aut volatilia ſint; ſtimulo praecipue agunt, vaſa irritant, humorum motum et colorem augent, adeoque optimos quidem praeſtant effectus, ubi ſunt inertia et torpit nimi-

um humorum motus: ſed quum Lochiorum ſuppreſſionem nunquam fere non comitetur febris acuta, ſuadet ratio, et paucorum experientia confirmavit, acria iſta medicamenta, febrem intendendo, gravem hunc morbum graviorem reddere: nec modo non expediunt obſtructos uteri meatus, ſed potius claudunt, vaſa ulterius ſtimulando, et conſtringendo, unde Lochia magis adhuc cohibent. Ab eadem cauſa, et a lentore phlogiſtico magis ſanguini inducto, ſudori libero obſtant, qui, ſi facilis et copioſus fuerit, puerperis febrientibus ſalubris et criticus fieri ſolet.

Hisce itaque omnibus expenſis, facile crederem methodum antiphlogiſticam dictam efficaciſſimam fore, tam ad Lochia reſtituenda, quam ad febrim ſopiendam. Haec autem inſtituitur copiam, impetumque ſanguinis minuendo per venaeſectionem, calorem temperando, humores diluendo, et vaſa relaxando.

Novi

Novi ſatis quantum Medici practici ſanguinis miſſionem hiſce in caſibus metuant, ne ſcilicet intempeſtiva fiat revulſio ab utero; verum magis longe periclitantur puerperae a febre et inflammatione, quas adeſſe ſuppoſuimus, quam ab inani hoc revulſionis metu.

Adeoque, ſi pulſus plenus, frequens aut durus ſit, ſanguinem mitterem prout vires ferre poſſint, vel e brachio, vel imprimis a pede; hoc enim facto, ſudor citius et facilius prorumpit, quia copiam et velocitatem ſanguinis minuendo, vaſa perſpiratoria minus comprimuntur, et inde magis permeabilia fiunt.

Sudores iſti hoc tempore, inſtar omnium reſpondent, praeſertim ſi morbus a frigore ſuſcepto originem duxerit, uti res ſaepe ſe habet; qui itaque promovendi ſunt per illa, quae humores diluunt et attenuant, ac etiam vaſa relaxant, ſed nequaquam admodum ſtimulantia

mulantia eſſe debent; hanc finem optime attingunt ſales neutrales.

Ingerantur ſaepe, ſed parca copia ſimul, decocta, diluentia et aperientia ex radicibus graminis, foeniculi, petroſelini, bardanae, &c. confecta: eodem tempore, calor debitus lecti et cubiculi convenit.

Clysmata emollientia tepida ex lacte, ſero lactis, aqua hordeata, decocto malvi, et talibus blandis optimo conſilio exhibentur; dum enim faeces accumulatae inteſtinis haereant, non tantum vaſa quibus viſcera iſta ſuppeditantur comprimunt, et ſic circuitum ſanguinis quaſi ſuffocant, ſed etiam partibus earum acribus in ſanguinem delatis, neceſſe eſt, ut ſymptomata omnia febrilia multum inde excitentur. Praeterea, vicinitate inteſtini recti cum utero rite perpenſa, plane apparet; quod clyſmata injecta modo fotus agere debent, unde canales uteri antea conſtricti, jam relaxati

relaxati et apperti, redditi ſunt, et reſiſtentia ſic minuta, magna copia humorum per eorum fines elicitur.

Vapores aquae tepidae, vel decocti alicujus emollientis in uterum inducti, multum levaminis promittunt; quia topice et immediate quaſi vaſa obſtructa relaxant, et reſerant; ſed admodum caute adhibendi ſunt, nam admiſſio aeris frigidi conſequentias peſſimas produceret.

Pro victu nihil exhiberi debet niſi panada, panatella, et talia ſorbilia hujus claſſis, quae facile degeruntur.

Quoad methodum antiphlogiſticam iſta ſufficiant: pauca reſtant de ſtadio altero hujus morbi dicenda.

Si mulier tenui et laxo habitu corporis donata, obſtructione tali laboret: ubi pulſus parvus

vus et debilis devenit, ſponte patet, quod venaeſectio, aliaeque evacuationes effectus peſſimos producerent. Tali ſtatu rerum, ad remedia ſtimulantia et calefacientia, nervoſa dicta confugiendum eſt, ſcilicet caſtoreum, crocum, camphoram, aſſam foetid. theriacam, ſalem ſuccini, aliaque hujus claſſis, cum opiatis clyſmata emollientia aeque ac in priori caſu indicantur.

Pro potu communi utatur decocto aperienti vino admiſto, ſero lactis vinoſi, caeteriſque hujus generis.

Diaeta antea memorata hoc tempore etiam optime convenit, ſi modo addantur aromata cum pauxillo vini, nempe cortex cinamomi, nux moſchata, &c.

Quies indulgenda eſt, et animi pathemata pacari debent.

SYMPTOMATA maxime urgentia, ſecundum naturam eorum ſingularem, ſopienda ſunt.

IN varias cauſas morbum hunc producentes ſedulo indagandum eſt, antequam medela apta adhiberi poteſt. Iſtam a perſpiratione impedita ortam praecipue tractavi, caeteraſque ex conſulto praeterivi.

JAM diſſertatiunculam hanc curtam et imperfectam, calamo nimis feſtinante, ad finem perduxi; et, quod admodum perfunctorie tractatur, haud me agnoſcere pudet.

FINIS.